

Legitur quoque ordo qui servatus fuit in primo Concilio et qui, secundum mentem Patrum, servandus est et in hoc Concilio :

1. Quoad residentiam necnon distributionem temporis ab omnibus qui interesse debent dicto Concilio ;

2. Quoad regulas in congregationibus generalibus observandas.

Tum recitatur et admittitur promissio ordinaria de secreto ab omnibus tenendo circa res in Concilio discussas et quæ possent detrudere vel reverentiæ Concilio debitæ, vel honori cujusvis personæ.

Tandem indicata fuit prima Sessio generalis, die sequenti, hora octava cum dimidia ante meridiem habenda.

Tunc finem habuit prima congregatio generalis, recitata oratione *Sub tuum*, etc.

Sessio prima.

Die vigesima octava Maii ejusdem anni, incidente in Dominicam infra octavam Ascensionis, anno Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papæ Noni, mane hora octava cum dimidia conveniunt Patres in majori aula Palatii Archiepiscopalis, cum Deputato a Capitulo Marianopolitanensi, theologis et officiariis Concilii, multisque aliis sacerdotibus.

Ordinata processione, a Palatio omnes exeunt et per viam publicam procedunt ad Ecclesiam Metropolitanam, eodem modo et ordine ac in prima Sessione primi Concilii, Archiepiscopo et Episcopis cappa et mitra, cæterisque omnibus habitu sibi competenti indutis.